

rum, sive criminaliter, sive civiliter, tunc sententia diffinitiva alium habet effectum; nempe, quod condemnatus de crimine, seu injuria a se illata, notetur infamia, nisi injuria foret minima. Ita desumitur ex c. *Cum te*. 23. h. t. juncta Glossa ibid. *¶*. *Infamia*. et *¶*. *Minima*. h. t. atque habetur l. *Athletas*. § fin. ff. *De iis qui notantur infamia*, ibi: « Si quis furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, suo nomine damnatus pactusve erit, simili modo infamis est. » Concordat textus in l. I. ff. eod. et in l. *Infamem*. ff. *De Publicis judiciis*. Et hoc procedit in sententia diffinitiva: secus in interlocutoria, ut jam dictum supra § 1. n. 32.

149. *Regula est, quod sententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet. Res inter alios acta, aliis non nocet.* — Quæritur II. An sententia inter aliquos lata noceat, vel prosit aliis; et quando? Resp. I. Regula est, quod sententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet. Textus est in rubrica, et l. I. ac seqq. c. *Res inter alios actas, vel judicatas, aliis non nocere*, cum similibus. Item habetur c. *Inter dilectos*. 6. § *In omnibus. de Fide instrument.* et c. *Quamvis*. 15. et c. *Cum super*. 17. h. t. ubi dicitur, quod « res inter alios acta, non noceat regulariter aliis, juxta constitutiones canonicas, et civiles. » Idque merito, tum quia « non debet aliquis alterius odio prægravari, » juxta reg. 22. jur. in 6. sive, « non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, ut dicitur l. *Non debet*. ff. eod.; tum quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, cap. II. *de Constitution.* Sic autem fieret, si sententia contra unum lata, præjudicaret alteri: nam sententia illa non transiret in rem judicatam, nisi pars succumbens eidem acquiescisset, atque appellare intermisisset; ac proinde hæc ejus negligentia, vel omissio, non debet alteri culpa carenti præjudicare.

150. *Idipsum declaratur exemplis.* — Idipsum declaratur inductione. Sic cit. c. *Cum super*. 17. h. t. sententia lata contra reum, nihil de jure suo docentem, confirmatur: sed quia tertius, cujus intererat, rationabilem opponeret appellationem contra eam, dicta appellatio admittitur, neque huic præjudicare censetur confirmatio dictæ sententiæ respectu alterius non appellantis facta. Simile quid habetur cit. c. *Inter dilectos*. § *In omnibus. de Fide instrument.*

151. Deinde agnitio debiti, aut hujus solutio facta per unum ex hæredibus, non præ-

judicat aliis cohæredibus tale debitum negantibus; nisi debitum fuerit probatum, l. I. c. *Res inter alios actas*, etc. Similiter transactio cum uno facta, alteri absentem non præjudicat, l. II. c. eod. Adeo quidem, ut etiam persona conjuncta, v. g. frater non præjudicet fratri pascendo, vel agendo sine ejus mandato, l. III. c. eod. Insuper sententia lata contra conjunctam personam, non præjudicat alteri conjunctæ personæ, quæ neque mandavit, neque ratam habuit actionem, l. I. c. *Quibus res judicata*, etc. Sicut et sententia in criminali cum uno lata, non præjudicat alteri, l. III. c. eod. Idemque dicendum de similibus: quia videlicet res inter alios acta, aliis non nocet.

152. *Res inter alios acta, vel sententia lata, regulariter etiam non prodest aliis.* — Resp. II. Res inter aliquos acta, vel sententia lata, non solum non præjudicat aliis, ut dictum; sed etiam regulariter non prodest istis. Ita Glossa in c. *Quamvis*. 25. *¶*. *Res inter alios*; et Abbas, ibid. n. 2. h. t.; Pirhing, eod. n. 80. Idque clare habetur decisum l. II. c. *Quibus res judicata*, etc. illis verbis: « Res inter alios judicata, neque emolumentum afferre iis, qui in judicio non interfuerunt, neque præjudicium solent irrogare. » Atque ista procedunt regulariter quidem, patiuntur tamen plures limitationes: unde

153. *Regula hæc patitur plures limitationes.* — Resp. III. Nihilominus data regula plures patitur limitationes: uti videre est apud Glossa cit. c. *Quamvis*. 25. *¶*. *Res inter alios*. et Abbatem, ibid. n. 3. h. t. Pirhing, eod. n. 81. et seqq. et alios.

154. *Res inter alios judicata nocet, sive prodest aliis quoad præsumptionem, si tangit jus absentium: licet non quoad plenum præjudicium.* — Imprimis quippe data regula procedit solum respectu pleni præjudicii, seu commodi: alioquin vero res inter alios judicata nocet, sive prodest quoad præsumptionem, ex quo tangit jus absentium. Glossa in l. II. *¶*. *Præjudicare*. c. *Quibus res judicata non nocet*: asserens, quod non præjudicet aliis « quoad plenum, sed quæquale præjudicium » fiat exinde aliis: ut l. *Si duo patroni*, juncta Glossa *¶*. *Habiturum*, et Bartolo, ibid. ff. *de Jurejurand.* et l. *A Sententia*. ff. *de Appellation.* et can. *Interrogatum est*. 2. q. 3. ubi Glossa fin. inquit, quod confessio unius de crimine, non nocet alteri quantum ad condemnationem, nocet tamen quantum ad præsumptionem. Abbas d. c. *Quamvis*,

n. 2. et 3. h. t. istud tamen relinquens arbitrio judicis, qui hoc arbitrabitur, secundum quod sententia tangit jus absentium Pirhing h. t. n. 8. istud exemplificans in sententia lata contra unum, v. g. adulterum, vel simoniacum, qui allegat alterum consortem criminis: nam sententia illa inducit infamiam facti etiam tertio, sive asserto consorti criminis, ita ut possit huic indici purgatio canonica, juxta c. *Significasti* 5. *de Adulteriis*.

155. *Sententia lata contra unum, nocet alteri, qui actionem mandavit vel ratam habuit, etiam quoad præjudicium.* — Deinde sententia lata contra unum nocet alteri, qui actionem mandavit, vel ratam habuit, etiam quoad plenum præjudicium; ut l. I. c. *Quibus res judicata non nocet*, argumento a sensu contrario desumpto: ac patet in procuratore, nam sententia contra ipsum lata, nocet principali, qui ipsum constituit. Spectato enim rigore juris civilis, ferendam esse sententiam in personam procuratoris (dummodo verba sententiæ possint recte concipi in personam ejus) habetur l. I. c. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* estque jam dictum supra l. I. tit. XXXVIII. *De Procuratoribus*. § 5. n. 115. et 116.

156. *Ampliatur istud ad duos notabiles casus.* — Aliud, et quidem geminum hujus exemplum, habetur cit. c. *Quamvis*, seu cap. ult. h. t. ubi præmissa Regula, quod « regulariter aliis non noceat res inter alios judicata, » subjungitur duplex ejusdem fallentia. Primo in eo, qui cum sibi primum de re quapiam actio, vel defensio competeat, passus fuit litigare sequentem, sive illum, cui secundo loco competeat ejusmodi actio. Deinde in illo, qui passus est alterum agere, a quo causam habuit: nam in utroque casu sententia contra hunc alterum lata, præjudicium generat priori. Concordat textus in l. penult. ff. *de Re judicat.* ubi Bartolus in *Summario*. breviter sic distinguit, dicens: « Sententia lata contra unum non præjudicat alteri, qui eum prohibere non poterat, vel ab eo causam non habeat: secus, si poterat prohibere, et ab eo causam habeat: et sciens, et erat. » Accedit ratio: quia ubi controversatur in judicio de re ad me principaliter pertinente, ac passum removere litigantem, sive in me assumere actionem de re illa, vel saltem protestari, ne alter litiget in meum præjudicium, et tamen taceo: censor consentire in illius actionem, juxta reg. 43. juris in 6. « Qui tacet, consentire

videtur: » sicque alter intelligitur litigare de mea voluntate, l. *Sæpe constitutum*. ff. *de Re judicat.* ac proinde merito sententia contra ipsum lata, nocet etiam mihi.

157. *Regula illa fallit in causis connexis; idque declaratur.* — Tertio, data regula fallit in causis connexis. In his enim res inter alios acta aliis prodest, aut nocet; ut can. *Tantis Daniel*. dist. 81. ubi sententia lata contra indigne ordinatum, præjudicat ordinatori; ac notat Glossa fin. ibid. Concordat can. *Hæc quippe*. 3. q. 6. juncta Glossa *¶*. *His amotis*; ubi propter causarum cohærentiam, seu connexitatem, sententia lata contra ejectum episcopum (declarans videlicet, quod juste fuerit ejectus ex sua Ecclesia) prodest subrogato in ejus locum: et e contra sententia lata pro ejecto episcopo, nocet subrogato in ejus locum, eo quod hic cedere debeat injuste ejecto. Simile quid habetur c. *Ad petitionem*. 22. juncta Glossa *¶*. *Per consequentiam de Accusation.* et cap. penult. *de Purgat. canonic.* ubi cassato principali, cassatur etiam accessorium. Atque hanc fallentiam tradit Glossa cit. c. *Quamvis*. *¶*. *Res inter alios*. h. t. et Abbas, ibid. n. 22. allegans alios; atque subjungens, quod in prædictis casibus, et similibus, sententia contra unum lata noceat quidem alteri respectu juris creati, seu ab altero in ipsum translata, non vero respectu pœnæ quia quoad pœnam non est connexitas inter eos. Idem tradit Pirhing h. t. n. 84.

158. *Fallit etiam in re individua, et pluribus communi, quod exemplificatur.* — Quarto, eadem regula fallit in re individua, et pluribus communi: quia tunc « victoria unius, aliis proderit; » ut dicitur l. *Loci*. § *Si fundus*. ff. *Si servitus vendicetur*, loquendo de servitute itineris, respectu cujus competit actio pluribus in solidum. Concordat c. *Una sententia*. 72. *de Appellat.* ubi dicitur, quod si plures una sententia fuerint condemnati, et unus solus eorum appellaverit, illius victoria jure communi cæteris suffragetur, si idem negotium, eademque causa defensionis existat: idque procedit ratione indivisibilitatis; quia nimirum sententia debet esse individua, sicque non potest pro parte valere, et pro parte non. Glossa, ubi supra. Abbas cit. c. *Quamvis*. n. 15. h. t. et d. c. *Una sententia*. n. 3. et 4. *de Appellation.*

159. *Item in re communi cum pupillo. In individuis potest quis consequi per socium, quod per se potest.* — Quinto, hoc ipsum

procedit in re communi cum pupillo: nam habens fundum communem cum pupillo, retinet servitute debitam fundo, etiamsi ea non utatur, ratione pupilli. Textus est in l. *Si communem*. § 1. ff. *Quemadmodum servitut. amittant*. Sicut enim non currit præscriptio contra pupillum, ita nec contra majorem habentem rem communem cum pupillo; idque ratione communionis, atque indivisibilitatis. Unde in individuus potest quia consequi per socium, quod per se non potest; c. *Sacris*. 12. de *Sepultur.* et cap. un. juncta Glossa et Abbas cit. c. *Quamvis*. n. 14. h. t. apud quos nonnullæ aliæ fallentiæ dictæ regulæ videri poterunt.

## § VI.

## DE EXECUTIONE SENTENTIÆ.

160. *In actionibus, seu causis civilibus, sententia non illico est executioni mandanda, sed expectandum saltem per decem dies.* — Quæritur I. Quo tempore, ac ordine sit facienda executio sententiæ? Resp. I. In actionibus, seu causis civilibus sententia a judice lata non est illico mandanda executioni, sed est expectandum saltem per decem dies. Ita communis; et ratio est; quia ante elapsum decendium sententia necdum transit in rem judicatam; imo ab eadem potest adhuc condemnatus appellare, c. *Quod ad consultationem*. 15. h. t. cum similibus; hac proinde hoc ipso nequit tunc fieri ejus executio.

161. *Et quid in criminalibus?* — Additur notanter in «causis civilibus.» Secus enim est dicendum de criminalibus: nam crimine liquato, ac prolata sententia, non est deferenda ipsius executio, ne detur ansa supplicandi principi pro remissione pœnæ, sicque crimina maneant impunita. Textus est in l. *Cum reis*. c. de *Pœnis*. et notat Bartolus, in l. *Qui ultimo*. n. 5. ff. eod. Pirhing, h. t. n. 100; Layman c. *Quærenti*. n. 2. de *Officio delegat.* citans alios, atque subjungens, quod in imperio criminaliter condemnatis remedium appellationis non concedatur.

162. Fatendum tamen, quod Abbas, cap. II, n. 2. et 3. h. t. de jure verius esse censeat, non solum in civilibus, sed etiam, et quidem a fortiori in criminalibus, ubi agitur de majori de præjudicio, seu pœna corporali infligenda, ejusmodi sententiam pœnæ corporalis non posse executioni mandari intra decem dies, qui dantur appellandum, arg.

l. *Non tantum*. ff. de *Appellation.* Et hæc sententia merito retinetur in casibus, in quibus reo appellare licet. Nec obstat consuetudo præallegata. Resp. enim, istam ex eo salvari communiter non damnatur quis ad mortem, nisi fuerit sponte confessus, vel ita in facinore deprehensus, aut testibus et argumentis convictus, ut vix ipse negare audeat, l. *Qui sententiam*. c. de *Pœnis*. Nam convictis, et confessis de crimine appellare non licet: et si secus fiat, eorum appellatio non recipitur, l. II. c. *Quorum appellationes non recipiantur*, juncto Summario et doctoribus. ibidem. Unde subintrat ratio ex d. i. *Cum reis*. c. de *Pœnis*, allata.

163. *Si dixerit reus, se velle parere sententiæ, statim ista in actione reali est executioni mandanda.* — Resp. II. Si tamen dixerit reus, se velle parere sententiæ, statim ipsa in actione reali mandanda est executioni. Ita Glossa c. *Quærenti*. §. *Quadrimestre*. de *Offic. delegat.*, et alii. Ratio est, quia quamprimum Definitur, rem non esse possessoris, et hic acquievit sententiæ, vel eam sinit transire in rem judicatam, utique eam ulterius invito domino retinere non potest; ac proinde compelli debet ad rei illius restitutionem faciendam, ejusque una cum fructibus possessionem actori tanquam vero domino tradendam. Et si restituere jussus judici non obtemperet, vel mendaciter contendat, se non posse illico restituere; tunc erit locus executioni reali, atque manu militari ex officio judicis transfertur ab eo possessio rei alienæ, l. *Qui restituere*. ff. de *Rei vindicat.*

164. *In actione personali regulariter conceditur quadrimestre ad solvendum. Statim solvere debens, non tenetur illico sacco adire.* — Additur notanter in data conclusionem, in «actione reali.» Quia secus est dicendum in actionibus, et debitis personalibus: nam in his tempus a jure definitum pro executione sententiæ, regulariter est quadrimestre, quod condemnato etiam parere, seu satisfacere volenti, conceditur ad solvendum, c. *Quod ad consultationem*. 13. h. t. et c. *Quærenti*. 26. juncta Glossa §. *Quadrimestre de Offic. delegat.* et alibi. Nec immerito hic conceditur quadrimestre: tum quia alteri obligatus actione personali, non detinet rem alterius; prout contingit in obligato alteri actione, seu debito reali, de quo procedunt dicta n. præced.; tum quia «debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim

cum sacco adire debet,» ut loquitur textus in l. *Quod dicimus*. 106. ff. de *Solutionib.* junctis concordantiis a Glossa ibid. §. *Intelligendum est*, relatis. Tale autem temperamentum temporis pro solutione debiti personalis, jura statuerunt quadrimestre: quod incipit currere a die latæ sententiæ, text. clar. I, II. et III. c. de *usuris rei judicat.* junctis sacris canonibus proxime citatis.

165. *Quadrimestre illud ex causa juxta potest arctari, vel prolongari; non tamen sine causa.* — Additur etiam, «regulariter est quadrimestre,» quia tempus hoc ex juxta causa potest quandoque arctare, sive abbreviare, vel etiam prorogare, cit. c. *Quod ad consultationem*. h. t. Sine causa juxta tamen id arctari, aut prorogari nequit, juxta Glossam ib. §. *Arctari*: nam, ut habet reg. 17. jur. in 6. «Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum.» Si tamen ab initio sponte qui receperit terminum breviorum, imputari sibi potest, ac debet; cum ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse; prout loquitur pontifex d. c. *Quod ad consultationem*. h. t.

166. *Executio sententiæ in debitis personalibus, quo ore, ne in bonis fieri debeat?* — Resp. III. Executio sententiæ in actionibus, et debitis personalibus ita debet fieri, ut primo capiantur res mobiles, et animalia: quibus deficientibus, vel saltem pro debitorum personalium solutione non sufficientibus, deveniendum est ad immobilia, puta ad solum, agros, et hujusmodi: quod si nec ista sufficientiant, tandem perveniatur etiam ad jura. Ita statuitur in l. *A Divo*. § *In vindicatione*. ff. de *Re judicat.* atque simili habetur cap. ult. § *fin. Ul lite non contestata*, etc. Et merito, quia hac ratione fiet executio sententiæ, ut quam minimum noceatur reo; quod suadet ipsa ratio naturalis. Concordant dicta superior tit. XV. de *eo, qui mittitur in possessionem*, etc., n. 24.

167. *Executio sententiæ plerumque spectat ad judicem, qui eam tulit, dummodo is sit judex ordinarius, etc. Quid si bona rei condemnati sint in alieno territorio?* — Quæritur II. Per quem fieri possit, ac debeat executio sententiæ? Resp. I. Executio sententiæ plerumque spectat ad eum judicem, qui tulit sententiam: dummodo is sit judex ordinarius, simulque bona condemnati, in quibus executio facienda est, sint in suo territorio. Quod si vero bona rei condemnati sint in alieno territorio, vel sub alterius jurisdic-

tione existant, is per «Litteras requisitorias» (ut vocant) requirendus erit a judice sententiam ferente, ut eandem sententiam in suo territorio exequi velit. Ita desumitur ex l. *A Divo*. § 1. et 2. ff. de *Re judicat.* et c. 1. § *Contrahentes*. de *Foro compet.* in 6. ac notat Engel, h. t. n. 29. et seqq. estque amplius dictum supra tit. II. de *Foro competenti*. § 3. n. 48. et seqq. loquendo in specie de clerico, qui in una diocesi habet beneficium, et in alia commisit crimen dignum privatione beneficii: simulque n. 54. declarando, quid agendum sit, quando judex debite requisitus non vult exequi sententiam ab altero latam.

168. *Post sententiam latam expirat officium judicis et quomodo?* Dices. Post sententiam latam expirat officium judicis, l. *Judex* ff. de *Re Judicat.* ergo is non potest exequi sententiam, sed duntaxat superior ipsius. Resp. disting. anteced. Post sententiam latam cessat officium judicis mercenarium, quod actioni deservit, et de quo loquitur lex allegata, conced. Cessat etiam officium judicis nobile, quod consistit in coercendo, jubendo, vetando, juris judiciique conservandi causa, neg. anteced. Quid autem sit officium judicis mercenarium, et nobile, ex professo dictum est superius lib. I. tit. XXIX. de *Officio et potestate judicis delegati*. n. 24. Vel die conformiter textus in c. *In litteris*. 9. de *Offic. delegat.* ac notat Abbas, ibid. n. 2. quod per sententiam diffinitivam non censeatur judex omnino functus officio suo, sed duntaxat per sententiam diffinitivam executioni mandatam, id est, post factam ejus executionem: quam certo respectu etiam antea, sive post latam diffinitivam, dicatur functus officio suo, eo quod non amplius possit se impendere cognitioni illius causæ; ut cit. l. *Judex*. et l. *Cum quærebatur*. ff. de *Re judicat.*

169. *Delegatus papæ potest exequi suam sententiam, sive per se, sive per alium. Idem dicendum de delegato supremi judicis.* — Resp. II. Loquendo nunc de judice delegato, certum est, quod delegatus papæ possit sententiam suam exequi, et quidem usque ad annum, c. *Quærenti*. 26. et c. *Pastoralis*. 28. § *Præterea*. de *Offic. delegat.* Quam etiam exequi potest sive per se. sive per alium, c. *In litteris*. 9. eod. Adeo, ut si delegatus Papæ committit judicii ordinario executionem suæ sententiæ, iste mandato ipsius obedire, atque sententiam latam exequi teneatur, c. *Significasti*. 7. et cit. c. *Pastoralis*. § *Quia vero*, eod. estque ex professo dictum supra lib. I. tit. XIX.